

« Denique, nisi tale esset hoc lumen, non esset con-  
« sentaneum fini a Deo intento, scilicet, quod ho-  
« mines summa fiducia et certitudine captivent intel-  
« lectum in obsequium fidei et Dei. »

164. Constat 4<sup>o</sup> *ex sensu communi*. Communiter ille qui exercet fidem theologicam dicitur credere Deo. Atqui nullus credit Deo, nisi revera Deus locutus fuerit. Quod ita confirmat Coninck (Disp. x, dub. 1, n. 74). « Si Petrus mihi aliquid diceret, et ego putarem omnino eum esse Joannem, qui magna apud me est auctoritate, ideoque illud crederem, quia putarem ab eo dictum, hoc casu, putarem quidem me credere Joanni; vere tamen ei non crederem, sed Petro; quia hic non autem ille mihi aliquid esset testatus. Impossibile autem est me alicui credere si nihil mihi dicat. Ergo similiter, quando aliquid credo, quia falso puto a Deo esse revelatum, vere non credo Deo, quia ipse hoc mihi non testatur, sed solum puto me ei credere; et consequenter meus actus non est actus fidei theologicae, sed solum putatur esse talis. »

Sic igitur respondendum est ad ea quae obijciuntur n. 159.

165. *Ad 1.* Ille qui ex falsa et invincibili persuasionem judicat evidenter credibile quod non est revelatum a Deo, obligatur quidem ad fidem adhibendam putativae revelationi, sed fidem quae non est theologica nisi apparenter tantum. Habebit nihilominus affectionem piaie credulitatis meritoriam; quia meritorium est velle credere quod judicatur revelatum.

166. *Ad 2.* Virtus misericordiae non exigit ut certo cognoscamus utrum illi quibus subvenimus sint vere

pauperes. Ad hanc enim spectat illis opitulari qui pauperes censentur. Ratio est quia ad virtutes appetitivas non pertinet excludere errorem circa sua objecta. Sicut voluntas fit moraliter mala, ubi prosequitur objectum quod falso apparet malum, sic et contrahit bonitatem ubi complectitur objectum quod falso apparet bonum. Bonum, siquidem, et malum morale in actibus voluntatis, mensuratur ex conformitate cum objecto, non prout est a parte rei, sed prout proponitur ab intellectu etiam erroneo. Virtutes autem intellectuales versantur circa verum; ac proinde eorum perfectio consistit tota in conformitate cum objecto, prout est a parte rei.

#### QUAESTIO IV.

##### Quanta requiratur certitudo ad actum fidei divinae perficiendum?

(Salm. *De fide*: Disp. 11, dub. 5, n. 103... 127. — Theol. Wirceb. *De fide*: n. 172... 179; 197... 205. — Mazella. *De virt. inf.* n. 594... 616; 745... 760.)

167. *Resp.* Certitudo simpliciter dicta duo importat, nempe: 1<sup>o</sup> necessariam connexionem assensus cum veritate, excludentem periculum falsitatis; quae connexio oritur ex motivorum pondere, et vocatur certitudo *objectiva*, seu, *infallibilitatis*; 2<sup>o</sup> firmam adhaesionem intellectus ad objectum, qua excluditur formido oppositi; et haec adhaesio firma dicitur certitudo *subjectiva*, seu, *indubitabilitatis*.

Certitudo *objectiva*, in eo qui percipit necessariam connexionem assensus cum veritate, secum infert



certitudinem *subjectivam*; sed aliquando certitudo *subiectiva* ab *objectiva* separatur; in eo, nempe, qui errori firmiter adhaeret ex ignorantia aut pertinacia.

Quibus praelibatis, certitudo ad actum fidei requisita considerari potest, vel in ipsomet fidei actu, vel in iudicio credibilitatis huic praevio.

168. I. Considerando certitudinem in ipsomet fidei actu.

**Dico** : *Actus fidei divinae gaudet vera certitudine, tum objectiva, tum subjectiva; imo quolibet assensu naturali certior est.*

*Prob. 1 pars.*

1° Juxta Trid. (sess. XI, cap. IX.) fidei non potest subesse falsum. Ergo fides excludit omne periculum falsitatis; exinde aequum est ut excludat omnem errandi formidinem.

169. 2°. Conc. Vatic. (Constit. *Dei Filius*, cap. III) ait : « Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae « Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo « intellectus et voluntatis obsequium praestare tene- « mur. » Ibi evidenter firmitas adhaesionis exigitur ratione Veritatis increatae, per quam omne falsitatis periculum excluditur. Ergo utraque certitudo infal- libilitatis et indubitabilitatis in actu fidei reperitur.

170. 3° Catechismus Romanus (pars I. Initio) docet vocem *credere* vim habere « certissimae assensionis, « qua mens Deo sua mysteria aperiendi firme con- « stanterque assentitur. »

171. *Prob. II pars* quam theologi communissime contra paucos defendunt.

*I. Ex Scriptura.* Christus (Luc. XXI, 33) ait : *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, id est, ut explicant passim interpretes : potius et prius deficiet veritas et certitudo cunctarum rerum, quam infallibilitas verbi mei. — S. Petrus (2. Ep. I. 19.) postquam memoratus esset visionis habitae in monte Thabor, huic visioni, quae inter cognitiones habetur ut certissima, certitudinem fidei praeferit, dicens : *firmiorem habemus propheticum sermonem*.

172. *II. Auctoritate Patrum.* S. Basilius (Conc. in Ps. cxv.) : « Fides praebeat..., fides supra ratio- « nales methodos animum ad assensum trahens. » — S. Chrysost. (Homil. 12 in ep. ad Hebr.) : « Nec fides « dici potest, nisi cum circa ea quae non videntur, am- « plius quam circa ea quae videntur, certitudinem quis « habuerit. » — S. Aug. (*Conf.* lib. VII. cap. X.) : « Facilius dubitarem vivere me, quam esse vera quae « audivi. » — Richardus a S. Victore (*De Trinit.* c. II.) : « Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius « tenemus quam quod fide credimus. »

*III. Ratione.*

173. a) Illa certitudo est simpliciter major, quae provenit ex causis simpliciter certioribus, et magis aptis ad firmandum intellectum circa verum. Atqui tales sunt causae e quibus provenit certitudo fidei. Praecipua enim causa est motivum cui fides innitur. Sed illud motivum est verbum Dei nobis aliquid testificans; quod verbum longe superat omnia motiva naturalia naturali certitudini respondentia.



174. b) Sicut ordo supernaturalis excedit, simpliciter et quoad speciem, naturalem ordinem, ita supernaturalis certitudo debet excedere naturalem; praesertim cum supernaturalis certitudo sit impressio et participatio quaedam certitudinis increatae, quae omnem naturalem certitudinem longe transcendit. Atqui certitudo fidei est supernaturalis. Ergo...

175. Attamen concedendum est assensum naturalem evidentem, qua veritas clare in se conspicitur, magis remove errandi formidinem indeliberatam, quam assensus fidei divinae. Fides enim, cum versetur circa objecta intellectu difficiliora, et saepius naturae corruptae repugnantia, majores dubitandi tentationes experitur, quae indeliberatas haesitationes generant. Sed, ob excellentiam motivi, has omnes contemnere potest et debet, nihilque de sua firmitate remittere. Unde cum deliberata errandi formidine est impossibilis.

176. II. Considerando iudicium credibilitatis, duplex est distinguenda certitudo: *absoluta* et *respectiva*.

Prior ea est quae tot et tantis motivis nititur, ut ista penetrata et ponderata sufficiant respectu cujuslibet intellectus, etiam sagacis et acuti, ad ingerendam certitudinem omne dubium prudens excludentem.

Posterior dicitur quae nititur motivis talibus vel ita consideratis, ut ea satis sint ad cognitionem omne prudens dubium excludentem, non quidem respectu intellectus cujuscumque, sed alicujus duntaxat,

ratione particularis dispositionis; v. gr., quia vel puer, vel idiota, vel non admodum sagax est, qui nequeat omnia rite perpendere. Unde plurimae difficultates quae alterius sagacioris menti occurrerent, eumque a iudicando retardarent, illi non officiant.

Jamvero, requiri ad fidem divinam iudicium credibilitatis saltem *respectively certum*, nullus dubitat. Sed quaestio est an sufficiat?

177. Videri potest quod certitudo *relativa* non sufficiat, et requiratur *absoluta*.

Etenim, 1° respectiva certitudo credibilitatis in pueris et indoctis nititur communiter testimonio parochorum, parentum et piorum hominum. Atqui testimonium illud non repugnat quandoque esse falsum; et ideo, si sufficeret certitudo ex illo procedens, jam daretur nonnunquam obligatio credendi falsam revelationem, quod repugnat.

2° Praeterea, posita sola certitudine respectiva, ubi eam habens fieret doctior et acutior, quandoque serias dubitandi rationes antea sibi ignotas aminadverteret, et sic posset, imo teneretur repudiare assensum quem habebat supernaturalem. Atqui is est praecise error ab Innoc. XI damnatus in sequenti propositione (xx): « Potest quis prudenter repudiare assensum quem « habebat supernaturalem. »

3° Praeterea, multi haeretici tardioris ingenii habent de falsis suis dogmatibus certitudinem respectivam; et tamen possunt, et nonnunquam debent de hisce dogmatibus dubitare atque eis valedicere. Ergo, pari ratione, rudes Catholici solam respectivam credibilitatem



tis certitudinem habentes, poterunt aliquando suam fidem saltem in dubium revocare.

178. Ob has itaque rationes, nonnulli theologi absolutam credibilitatis certitudinem requirunt; quorum alii volunt necessarium esse ut ipsamet revelationis propositio apta sit ad gignendam certitudinem hanc absolutam; alii dicunt quod, ubi revelationis propositio non sufficit, Deus interiori sua illuminatione supplet propositionis defectum, subministrando quoddam *discerniculum*, cujus ope veritas ita perspicitur, ut certitudo evadat absoluta.

179. Sed contra dico: *Ad fidei divinae actum sufficit, in judicio praevio credibilitatis, certitudo respectiva.*

Ita communiter theologi.

Prob. 1<sup>o</sup> Illa sufficit certitudo quae, de facto, sola in pueris et rudibus communiter reperitur; secus, jam illi fide vere christiana carerent, quod nefas est dicere. Atqui rudes et pueri non habent, communiter loquendo, de veritatum revelatarum credibilitate, nisi certitudinem respectivam. Hanc siquidem certitudinem hauriunt ex pastorum, parentum et aliorum piorum virorum testimonio; et illud testimonium, dese, ut patet, generat certitudinem mere respectivam.

180. *Discerniculum* autem quod alterius sententiae patroni contendunt a Deo per internam illuminationem praestari, est hypothesis mere gratuita, quam experientia certe non testatur. Insuper sequeretur: 1<sup>o</sup> rudiores esse melioris conditionis ac sapientissimi theologi, cum faciliori negotio et nobiliori lumine veram revelationem a falsa discernent; 2<sup>o</sup> singulos

eorum posse erroris convincere eum a quo falsa dogmata acciperent.

Certe, ut dictum est supra n. 104, Deus sua interna illuminatione facit ut propositio revelationis de se insufficientis ad dandam certitudinem *respectivam*, fiat ad hoc sufficiens; quod autem, saltem ordinarie, faciat illustratione sua, ut certitudo simpliciter *respectiva* evadat *absoluta*, non videtur admittendum; et eo minus admittendum est, quod certitudo mere *respectiva* plane sufficiat ad inducendam obligationem firmissime credendi, ut modo declarandum est.

181. Prob. 2<sup>o</sup>. Illa sufficit certitudo in judicio credibilitatis quae, se sola, obligat ad firmissime credendum. Atqui talis est certitudo *respectiva*. Illud ostenditur exemplis certis. Sic, ut advertit S. Aug. (*De utilitate credendi*, cap. 12, n. 26), filius patrem et matrem toto cordis affectu et omni reverentia prosequitur; et tamen qui sint sui parentes, non nisi ex testimonio humano absolute fallibili novit. Sic etiam, ut teneamur obedire regi, sufficit quod sit moraliter certum ipsum praecipere; et, sicut deficeret a subjectione regi debita qui nollet obedire, nisi evidentiam physicam haberet de lege lata et promulgata, ita, a fortiori, deficeret a subjectione Dei debita, qui nollet illi credere priusquam evidentiam haberet metaphysicam de revelatione facta.

182. Insuper, quod notatu dignum est, nec in filio vehementia amoris erga parentes, nec in cive obedientiae promptitudo erga principem, mensurantur gravitati testimoniorum quibus filio constat qui sint sui parentes, et civi legem fuisse latam et promulgatam; quia haec testimonia non sunt, in filio, motivum



formale amoris, nec in cive, obedientiae. Pariter, in Christiano, fidei firmitas valde excedit pondus motorum credibilitatis; sed mensuratur auctoritati Dei revelantis, in qua reperitur vera ratio motiva actum credendi determinans. Haec autem fidei firmitas procedit a voluntatis imperio iudicium credibilitatis consequente.

183. Unde merito damnata est ab Innoc. XI propositio sequens: (xx). « Voluntas non potest efficere ut assensus fidei, in seipso, sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. »

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 177.

184. *Ad 1.* Ut jam diximus n. 165, non repugnat dari obligationem credendi falsam revelationem, ubi obligatio oritur ex persuasionem invincibiliter erronea; sicut quis iudicans invincibiliter se ad mentium tenei, pro vita proximi tuenda, mentiri teneretur. Sed assensus falsus datus revelationi existimatae, quamvis, ratione pia affectionis a qua imperatur, sit meritorius, non erit in se assensus fidei divinae.

185. *Ad 2.* Juxta plures theologos, propositio damnata, si conferatur cum propositionibus XIX et XXI, cum quibus connectitur, hunc habet sensum: quod, *manente eadem apparentia credibilitatis*, assensus fidei repudiari possit. Nec mirum: auctor, siquidem, propositionum damnatarum docet solam credibilitatis probabilitatem, uti talem notam, sufficere. Stante autem hac eadem probabilitate, non est cur quis non possit priorem repudiare assensum. At doctrina catholica docet requiri certitudinem saltem

respectivam credibilitatis; qua stante certitudine, fidei divinae assensus prudenter non revocaretur. In hac interpretatione, si evanesceret praedicta certitudo, ob supervenientes dubitandi rationes antea ignotas, repudiatus assensus non contradiceret damnationi ab Innoc. XI latae.

186. De caetero, dicendum est, in nulla hypothesi, assensum supernaturaliter datum veritatibus revelatis, prudenter posse repudiari. Prudentia enim per se exigit, ut doctrinam semel pro objecto fidei divinae habitam, non facile deseramus, sed veritatem prius debita cum diligentia indagamus. At facienti quod in se est Deus non deerit, bene vero aliquo gratiae auxilio adjuvabit, ut fidei assensum jam datum retineat. (Vide Viva in prop. XX, n. 1... 13.)

187. *Ad 3.* Par non est haereticorum et Catholicorum conditio. Priores in errore versantur, nec divina gaudent illuminatione eos ad capiendum motiva credibilitatis, et ad firmiter credendum impellente; imo, quo plus bona fide errorem ipsis propositum, et modum quo proponitur, et conditionem eos evangelizantium considerant, eo magis vident se rationabiliter posse dubitare. At contrarium prorsus contingit Catholicis. Deus enim suae Providentiae debet cunctos homines in viam salutis dirigere; neque omittit eos, qui falsa dogmata recipiunt et bona fide procedunt, ab erroribus amovere; illos autem qui veram amplexati sunt fidem, in eadem confirmare.

188. Merito igitur conc. Vatic. (*De fide*, cap. III. can. 6): « Si quis dixerit parem esse conditionem fidelium atque eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut, Catholicis justam cau-



« sam habere possint fidem quam ab Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspensivo in « dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absol- « verint; anathema sit. »

QUAESTIO V.

An et quatenus actui fidei divinae competat obscuritas?

(Salm., *De fide* : Disp. III, Dub. 1, n. 1... 32. — Theol. Wirceb., *De fide* : n. 97... 101; 206... 212. — Mazzella, *De virt. inf.* n. 638... 655; 711... 726.)

**189. Resp. Dico 1° :** *Assensus fidei divinae, per se et formaliter spectatus, est essentialiter obscurus, sive ex parte objecti materialis, sive ex parte objecti formalis.*

Ita omnes.

*Constat prima pars.* Nam assensus fidei divinae per se et formaliter, quoad objectum materiale, dicitur obscurus, in quantum, vel habet pro objecto veritates supra captum intellectus positas; vel, si attingat veritates naturaliter evidentes, his non adhaeret quatenus evidentibus, sed quatenus ex motivo auctoritatis divinae extrinseco credibiles sunt; et haec omnia sufficienter jam probata et explicata manent ex praedictis.

**190. Constat secunda pars.** Fides enim divina, per se ac formaliter sumpta, nititur tanquam motivo proprio et intrinseco, non humanis rationibus, sed divinae Veracitati et locutioni per se spectatis, praescindendo

ab evidentia naturali, qua menti nostrae praevie refulgent. Atqui talis assensus merito dicitur ex parte objecti sui formalis obscurus.

**191. Dico 2° :** *Probabilius est assensum fidei divinae essentialiter non excludere, nec evidentiam rei attestatae, nec evidentiam in attestante.*

Quod non excludat essentialiter evidentiam rei attestatae, jam stabilitum est n. 9, ubi diximus fidem divinam versari posse circa veritates aliunde naturaliter notas.

**192.** Quod autem assensus fidei divinae non excludat essentialiter evidentiam in attestante, seu, evidentiam revelationis ipsius, non omnes theologi concedunt. Multi enim, ut Victoria, Durandus, Suarezius, Lugo, Theol. Wirceb... etc., contendunt omnino necessarium esse ut factum revelationis non sit ita evidens, quod excludatur omnis errandi formido etiam imprudens. Si enim tanta foret hujusce facti evidentia, ut nemo, nequidem imprudenter, de illo posset dubitare, jam revelatio necessario vera appareret, nec posset homo discredere, seu, actus fidei non esset liber et meritorius.

Hinc ipse Lugo, quamvis contendat (Vide n. 116) locutionem divinam, quatenus signis credibilitatis integratam, esse immediate notam ex sola terminorum apprehensione, addit nihilominus illam semper esse ex aliqua parte obscuram, ita ut quisque formidare possit, imprudenter tamen, ne non sit locutus Deus.

Imo, Theol. Wirceburg (*De fide*, n. 210) vult B. Virginem et Apostolos, multa quae in ipsis et per ipsos



fiabant, non tanta evidentia perspexisse, ut excluderetur erroris formido etiam imprudens; et ideo illorum factorum veram habuisse fidem.

193. Contraria tamen sententia asserens evidentiam in attestante esse cum fide compossibilem, doctoribus Salmanticensibus, Mazellae et multis aliis, videtur probabilior; quibus subscribimus.

Etenim, quod vehementius ad credendum impellit non potest actum credendi impedire; sed e contra magis inservit ad hunc eliciendum, modo ille actus, non obstante evidentia revelationis, remaneat liber. Atqui haec evidentia, ex una parte, vehementius ad credendum impellit; et, ex altera, actus libertati non officit. Nam, ex dictis supra n° 110, evidens credibilitas revelationis non causat actum credendi per modum rationis motivae; sed actus, ille elicitor propter solum Dei testimonium in se sumptum, praescindendo a notis quibus illius existentia probatur; unde actus ille non determinatur ab evidentia objecti, sed a voluntatis imperio, sub influxu gratiae. Atqui quod non ab evidentia objecti determinatur, sed a voluntatis imperio, remanet liberum.

194. Haec tamen cognitio qua revelatio apprehenditur non tantum ut evidenter credibilis, sed ut evidenter vera, non habetur ab omnibus, sed hanc sibi comparant ii qui, sufficienti instructi ingenio, attente considerant argumenta quibus divinam esse Christi doctrinam comprobatur.

Ad hujusmodi progignendam evidentiam, aptissima videntur probationum momenta ab Apologistis insipientioribus passim prolata, uti supponit Pius IX in

sua Encyclica *Qui pluribus*, 9 nov. 1846 « Quam  
« multa, inquit, quam mira, quam splendida praesto  
« sunt argumenta, quibus humana ratio *luculentis-*  
« *sime evinci omnino debet, divinam esse Christi*  
« *Religionem.* » Dein, motivis credibilitatis breviter  
et eloquenter enumeratis, subdit: « Quae certe  
« omnia tanto divinae Sapientiae ac Potentiae fulgore  
« undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio  
« vel facile intelligat christianam fidem Dei opus  
« esse. Itaque humana ratio, ex splendidissimis hisce  
« aequae ac firmissimis argumentis, clare aperteque  
« cognoscens Deum fidei auctorem existere, ulterius  
« progredi nequit; sed, quavis difficultate ac dubita-  
« tione penitus abjecta atque remota, omne eidem  
« fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo  
« habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa  
« hominibus credendum et agendum proponit. »  
Quibus verbis non sola credibilitatis evidentia, sed et  
evidentia ipsiusmet revelationis commendatur.

QUESTIO VI.

An et quatenus actui fidei divinae competat libertas?

(Salm. *De fide*: Disp. v, Dub. 1. — Mazella, *De virt. inf.* n. 556...674).

195. Resp. Dico 1°: *Actus fidei est liber, non quidem intrinsece, sed denominative.*

1° Non est *intrinsece* liber; id est: facultas a qua immediate, seu, elicitive procedit non est libera. Est enim actus elicitor ab intellectu, qui non est facultas formaliter libera.



196. 2° Est liber *denominative*; seu, quatenus imperatur a voluntate, et pendet ab ejus influxu. Sic enim definitum est.

Conc. Trid. (sess. VI, cap. VI) ait: « Disponuntur  
« ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et  
« adjuti, fidem ex auditu concipientes, *libere* mo-  
« ventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus  
« revelata et promissa sunt. »

Igitur qui se disponunt ad justificationem, exercendo fidem, *libere* moventur in Deum. Ergo libere credunt.

Conc. Vatic. (Constit. *Dei Filius*, cap. III. « Actus  
« ejus (fidei) est opus ad salutem pertinens, quo  
« homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gra-  
« tiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et  
« cooperando. » Et can. 5: « Si quis dixerit assen-  
« sum fidei christianae non esse liberum, sed argu-  
« mentis humanae rationis necessario produci, ana-  
« thema sit ».

197. Dico 2°: *Actus fidei est immediate liber, tum quoad exercitium, tum quoad specificationem.*

Libertas actus fidei concipi potest vel *remota*, vel *immediata*. Est *remota*, in quantum voluntas libere applicat intellectum, ut cogitet de objecto fidei, et attendat ad ea quae ipsum ad credendum, aut ad non credendum movere queunt. Est *immediata*, in quantum, proposito sufficienter objecto auditisque motivis credibilitatis, voluntas libere imperat intellectui assensum aut dissensum. De libertate *remota* actus fidei nulla movetur difficultas; quaestio est de sola libertate *immediata*.

198. Insuper, libertas fidei est, vel *quoad exercitium*, vel *quoad specificationem*. Est liber actus fidei quoad exercitium, quando voluntas eligit simpliciter inter actum ponere aut omittere. Est liber quoad specificationem, quando voluntas eligit inter ponere actum, vel ponere ejus contrarium, seu, inter assentire aut positive dissentire; qui dissensus fit vel negando veritatem revelatam, vel positive de ea dubitando.

199. Jam vero 1° Actus fidei est *immediate et quoad exercitium* liber.

Nam Christus, Apostolos mittens ad praedicandum Evangelium, ait: *Qui non crediderit condemnabitur* (Marc. XVI, 16). Ibi agitur de his etiam qui, audita praedicatione et visis signis eam comitantibus, simpliciter assensum denegant. Porro hi sane libere omittunt actum credendi, secus non condemnarentur. Ergo, audita etiam praedicatione et visis signis, libere abstinebunt a credendo, seu, habebunt libertatem credendi *immediatam et quoad exercitium*.

Insuper, conc. Trid. supra citatum eos peccatores memorans qui libere moventur in Deum credentes, evidenter loquitur de iis qui notas revelationis ponderaverunt, et illis notis acquiescunt in actum fidei prorumpendo.

Item, conc. Vatic. docet (loc. cit.) actum fidei non necessario produci humanis rationibus, id est, ponderatis etiam motivis credendi, remanere liberum. Quod clare indicat libertatem *immediatam et quoad exercitium*.

Et, de facto, quot homines audita et intellecta



wangelii praedicatione, perspectisque signis divinae revelationis, libere abstinent a credendo!

*p.*

200. 2° Actus fidei est liber etiam *immediate quoad specificationem*.

Legimus in Actibus Apostolorum: (xvii, 32, 34.) « *Cum audissent viri Athenienses Areopagitae resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: audiemus te de hoc iterum... Quidam vero crediderunt*. Ex quo patet, proposita credibilitate mysterii, homines ita credere, quod possint, vel suspendere assensum differendo, vel irridere et discredere, quorum primum pertinet ad libertatem *quoad exercitium*, et secundum ad libertatem *quoad specificationem*.

201. De caetero, haeresis et apostasia sunt peccata, ac proinde liberae. Sed non committuntur per simplicem actus credendi omissionem, bene vero per positivum dissensum, et ab iis potissimum qui motiva credibilitatis audierunt et intellexerunt. Ergo libertas, qua quis cadit in ejusmodi peccata, est libertas *immediata et quoad specificationem*.

202. Dico 3° : *Libertas fidei divinae minus recte explicatur per defectum evidentiae intrinsecae in objecto materiali, aut per obscuritatem objecti formalis inadaequati quod est revelatio*.

*Prima explicatio* est Bannesii, juxta quem, nunquam mens ad assentiendum necessitatur, nisi ab intrinseca veritatis evidentia; quae sententia communiter rejicitur.

Et quidem illa explicatio non valet pro fide verita-

tum naturaliter evidentium, quas jam statuimus esse posse materiale fidei objectum.

203. Sed, etiam loquendo de mysteriis, non videtur quomodo eorum inevidentia intrinseca inserviat libertatem actus fidei explicandam. Non enim agitur de natura mysteriorum investiganda, seu, de quaestione: *quid sint?* sed de quaestione: *an sint?* seu, de eorum existentia. Atqui, si haec existentia ex testimonio certo et evidenti omnino constat, tota remanet difficultas quomodo quis libere possit eorum existentiam negare. Ergo inevidentia objecti materialis non sufficit, et recurrendum est ad inevidentiam objecti formalis.

204. *Secunda explicatio* est multorum qui volunt, ad libertatem fidei salvandam, necesse esse ut factum revelationis sit inevidens. Est quidem illud factum evidenter credibile, quia hanc habet certitudinem quae evidenter excludit omnem *prudentem* formidinem errandi; non est autem evidenter verum, ita ut excludat omnem errandi formidinem, *etiam imprudentem*. Quae formido imprudens retrahens ab assensu est semper possibilis, et est libera. Unde optime concipitur quomodo fides sit libera immediate, et *quoad exercitium et quoad specificationem*.

205. Illa explicatio supponit revelationem nunquam esse posse evidenter veram, et hoc supra rejicimus, si agatur de his hominibus qui acutioris sunt ingenii, et motiva credibilitatis attente et erudite ponderaverunt. Ergo per revelationis inevidentiam non salvatur libertas fidei, nisi apud rudes et pueros. Ad aliam igitur explicationem recurrendum est.